



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 63. Novi tumultus in Bohemia a Rochisana suscitati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.  
A.C. 1437.

§. LXIII.

*Novi tumultus in Bohemia a Rochifana suscitati.*

Interim Rochifana animo elatus, ac ex-  
stimatione sui tumidus, turbarum &  
diffensionum semina, quæ in Bohemia  
feliciter suffocata credebantur, indies magis  
disperfit. Is ad Parochialem Eccle-  
siam S. Mariæ de Praga, cujus pastora-  
lem sollicitudinem usurpaverat, sese rece-  
pit, ubi Archi-Præsulatum Pragensem sibi  
Apostolicis literis asserendum expecta-  
bat, easque diutius retardari ægerrime  
ferebat; verebatur enim, ne Monacho-  
rum ad sua Monasteria, quæ adhuc in-  
tegra servabantur, redeuntium meritis,  
immodice nominis sui gloria decresceret.  
Ergo horum studia præventurus, ex Bo-  
hemie finibus omnes ejicere animo sta-  
tuit, nec perversum animi sui consilium  
aperire dubitavit, inquiens: *Veniunt nos  
diutim ad nos dæmones, quos Monachos vo-  
cant: his studium est ejicere nos de veritate:  
at si Viri Christianæ Religionis ardore ser-  
ventes (ita suos appellat Hussitas) fueri-  
tis, prius eosdem mecum expelletis.* Si-  
gismundus, cum hæc perciperet, indigna-  
tione tanto justiore excanduit, quo cer-  
tiore præfagio eandem seditionum tem-  
pestatem, quam mox sedaverat, denuo  
resuscit-



resuscitari metuit: quapropter ad Rochisæ dicitur respondit: *Imo nos prius Rochisæ sanguinem non inviti ante aras potius libabimus*, quam ut eidem adeo sceleratum facinus exequendi spatium relinquamus. Rochisana præsentiscens vitæ suæ periculum, quod sibi eo gravius impendere timebat, quo tardius mansuetissimam Imperatoris indolem ad vehementes iræ motus concitari noverat, clam fuga se proripuit. Ast infaustus Sigismundi obitus paucis ex post diebus eveniens, Rochisanam suo metu exemit, Bohemiam vero turbis, a quibus Imperator eam vindicare cogitabat, infeliciter involvit.

## §. LXIV.

*Sigismundi Imperatoris obitus.*

Jam a longo tempore fatiscentes corporis vires extremam vitæ diem Sigismundo Cæsari præfagebant. Igitur Hungaros eum stipantes, quos tenerrimo complectebatur affectu, manifestato mortis suæ periculo, allocutus dicebat: *michi fixum, ratumque est, Bohemia excedere, atque ut idem serio faciatis, vobis consulo; timeo enim, ne Bohemi post obitum meum in vos tanquam sectæ suæ hostes seditionem moveant, vosque bonis, aut forte etiam vita spoliarent, si inter*

secul. XV.  
A.C. 1437.

*Æn. Sylv.  
Hist. Bohem.  
c. 50. 55.*

*Krantz. 12.  
Wandal. 1.  
c. 4.*